

# Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 53

In nomine domini nostri Iesu Christi. Chuonradus ipsius preveniente clementia omni tempore iugiter serenissimus rex. Si aliquid compendiorum sancte die ecclesie ex nostris facultatibus conferre studemus, quatenus antiqua auctoritas precedentium patrum regum observetur et vita monachorum in hoc laude divina altius consendatur, si est unde victum et vestitum sancta dei ecclesia membris suis cothidie, ne a dei cesserent cultu, possit ex aliqua parte nobis donantibus sustentare penuriam suam vel administrare, credimus non solum nos vel successores nostros idcirco felicius in hac vita regnatos, verum in futuro eterne vite recompensatione cum electis in illa supernorum curia posse conscribi confidimus. Quapropter cupimus notum fieri omnibus sancte dei fidelibus presentibus scilicet et futuris, qualiter nos divino amore compuncti, in primis memores salutis aeterne vite et recordationis beate ut credimus anime coniugis nostre dilecte Machthildis regine et ut ipsa donavit et nos perficere postulavit, ad sacrosanctum monasterium, quod est constructum in civitate Vienna in honore sancti Andree apostoli et sancti confessoris Maximi, qui hic corporaliter requiescit, ubi dominus Heimoinus abba monachorum preesse dinoscitur, quicquid proprietatis visi sumus habere in predicto pago Viennensi ia predictis locis, in villa Vitroso aecclesiam cum ptesbiteratu et in villa Arelo et in Masiano et Arcas habere dinoscimur, ea scilicet ratione, ut predictus abba Heimoinus et modo fratres, qui degunt et qui deinceps ad illud monasterium pro dei amore venturi sunt, predicta loca teneant ad utilitatem ipsius monasterii et perpetualiter possidendum, per hoc nostre auctoritatis preceptum illis censemus. Et nichil census vel servicii umquam rectoribus predicti monasterii a regia potestate inde exigatur, nisi ut diximus solo conditori hominum pro nostra peccamina grata persolvant libamina. Ita ut actenus ad nos predicte res respiciebant, qualicunque ingenio nobis devenissent, aut de paterna potestate aut etiam nos postea de Vualda in villa Arcas adquisivimus, hoc est mansum unum et in Masiano colonicam unam, et in Vitroso quicquid de Thieodevino adquisivimus, et in Arelo similiter quantum de ipso comparavimus; hec ipsa predia precio computato trecentorum solidorum constad a nobis esse adquisita. Omnia hec a nobis illis tradita seu ab illo abbe ac monachis suis in predictis villis postmodum simili modo acquisitis vel etiam ubicunque aliquid habent adquisitum vel in futuro tempore erit conquirendum vel si aliqua persona aliquando pro remedio anime facultatibus ipsius monasterii de suis rebus cupid ingerere, huic nostre auctoritati subdere decrevimus, ne per successiones futuras aliqua incuria desoletur, agris pratis vineis casis casalibus pascuis aquis aquarumque decursibus et in omnibus appendiciis amodo et deinceps. Ut autem hec nostra auctoritas apud successores firmum tenorem habeat et omni tempore stabilis et inconvulsa permaneat, placuit nobis nomini nostro esse conscribendum et impressione anuli nostri subterius subsigillari.

Signum invictissimi hac piissimi regis Chuonradi (M.).

Ego itaque Herhardus indignus sacerdos, prescripti regis ac regine humillimus capellanus, iussus advicem Haimonis Valentinensis episcopi archicancellarii scripsi et subscrispsi.

Data kalendis decembris, nonis decembris, kalendis ianuarii sub pontifice Tietpaldo, anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi DCCCC nongentesimo II, indictione quarta, epacta vigesima, regnante rege nostro Chuonrado XXXVIII anno.